



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 14. Papæ litteræ: Quia quorundam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

esse: Annis quadraginta circiter vestram regulam reputavi phantasticam & quæ observari nequeat: atque si Deus auctoritatem mihi daret, abrogarem illam, traderem vobis aliam, ex qua communiter habere bona possētis, ut cæteri Religiosi. Author contendit eum post hæc verba non potuisse Papam fieri.

Sæcul. XIV.

A.C. 1324.

Post longum id alloquium Imperator eodem in conventu asseverabat se hæc dixisse non ex odio Papæ, sed ut religionem ac Ecclesiam protegeret tanquam defensor suus, juraque Imperii & clientium ejus conservaret. Jurabat etiam se rem persecuturum in concilio generali, quod convocari magnopere volebat, & ad quod per appellationem devolvebat omnia, quæ Papa interim contra ipsum & Imperium statueret. Hæc tabulæ publice legebantur Sachsenhusii 22 Oct. in sacello Equitum Teutonicorum coram Bertoldo Comite Henebergio multisque testibus aliis.

p. 509.

Rayn. n. 30.

§. XIV.

Papæ litteræ: Quia quorundam.

Quæ Fraticelli inseruerant imperatoriæ enunciationi contra duas sanctiones: *Ad Conditorem, &: Cum inter nonnullos, fuere causa tertiæ, cui initium:*

Hist. Ecclesiast. Tom. XXIII.

Q Quia

Sæcul. XIV.
A.C. 1324.

Extravag.
ult. Jo.

Sup. lib. 87.
§. 33.

Quia quorundam, & quam Papa Joannes XXII edidit 10 Nov. hoc anno 1324. Ibi respondet ad ea, quæ Fraticelli objiciebant, petita ex Nicolai III decretali: *Exiit, qui seminat*, ac e reliquis, quas Summi Pontifices in gratiam Fratrum Minorum emiserant. Dicebant isti: Illud, quod in rebus ad fidem moresque spectantibus Pontifices Maximi semel deciderunt, est ita immutabile, ut successor id haud possit vocare in dubium; multo minus contrarium affirmare. Atqui Summi Pontifices Honorius III, Gregorius IX, Innocentius IV, Alexander IV, Nicolaus IV asserebant Fratrum Minorum regulam esse imitationem Christi & Apostolorum, per quam nihil proprium seu privatim seu communiter habeatur, sed simplex usus facti in rebus usurpatis: & isti Pontifices Maximi deciderunt perfectam paupertatem Christi & Apostolorum constituisse in hac abdicatione omnis dominii profani. Ergo Papæ Joanni XXII non licuit decidere contrarium, nedum hæreticos declarare illos, qui contenderent Christo & Apostolis nullum fuisse jus rerum, quas habuerint: nec pronunciare debuit, Fratres Minores in nulla re habere simplicem usum facti posse.

Papa Joannes ita respondet: Honorius III & reliqui quatuor Pontifices Maximi

Secul. XIV.
A. C. 1324.

autem videtur probabile Nicolaum III voluisse his Fratribus reservare usum iniquum: quia in eadem sanctione ait Romanam Ecclesiam non recipere dominium nisi earum rerum, quarum usus illis concessus fuerit.

Cæterum si nobis haud licuit decernere quidquam contra constitutiones Nicolai IV, hic non habuit jus majus statuendi aut declarandi quidpiam contra sanctiones Gregorii, Innocentii, & Alexandri: quod tamen fecit, & sic revocavit eorum decreta. Præterea Innocentius III in concilio Lateranensi prohibuit, ne instituerentur novi Ordines Religiosi: & tamen ejus successores novos ejusmodi Ordines confirmarunt, quos postea suppressit Gregorius X in Lugdunensi concilio. Igitur, si post inhibitionem concilii generalis Pontifices Maximi confirmare ac suppressere potuerunt Ordines: mirum non est id, quod Papa solus de regulis horum Ordinum sanxit, vel declaravit, ab ejus successoribus exponi aut mutari posse. Denique Papa Joannes hanc decretalem concludit ut hæreticos damnando illos, qui contra duas priores loquerentur, aut scriberent.

Sup. lib. 86.
p. 48.